Codice scheda: ASC A4560310 (Microscheda: 3964C7/9)
Luogo e data: TORINO - 21/12/1899
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: PUZYNA GIOVANNI
Classificazione: Rua: Corrisp. con Nunzi-Vescovi-Autorità
Tipo documento e supporto: Lettera spedita - Copia fotostatica
Autenticità: Copia

Contenuto: Ringrazia il Vescovo di Cracovia per la sua cordiale bontà in occasione dell'arrivo di D. Manassero E. a Oswiecim. Enuclea i principali compiti del Confratello, come Direttore della nuova opera (testo latino).

21. XII. 99

ORATORIO
di
S. FRANCESCO DI SALES
Torino, via Cottolengo 32

J. M. J.

Reverendissime et Excellentissime Praesul

Jam Dilectus in Christo Confrater noster Rev. Joa. Coelestinus Durando
nobis de tua erga nos amabilitate retulerat necnon de tuo de-
siderio epistolam a me recipiendi qua Te, Excellentissime
Princeps Praesul, certiorem facerem de quibusdam rebus,
quando ad me venerandae tuae litterae die 12 curr. mensis
datae pervenerunt. Voluissem statim Tibi respondere; at cir-
cumstantiae plures mihi obstaculum objecerunt.
Rogo Te, habe me excusatum.
In primis et ante omnia Tibi gratias agere debeo pro bono
animo quo confratres meos excepisti sperans fore ut semper
novum Directorem et omnes, quos misimus, velis
charitate tua amplecti. Jam forsitan nosti quod non erat
nobis voluntas jam hisce annis istuc veniendi: at petitiones
ex variis Poloniae partibus ad nos directae nos quodam modo
coëgerunt ad nostrum adventum accelerandum.
Nobis restaurationis ecclesiae Osviecensis a pluribus proposita fuit
eorum indulgendo desiderio opus istud non levis momenti
assumpsimus, eidem delegando unicum sacerdotem tunc
temporis disponibilem, qui linguae polonicae gnarus esset
quique apud nos semper sicut bonus et fervens religiosus
se gesserat. At ipse sibi aliquantulum, sicut necessitas fe-

3964 C7

relictus, heu nimium! non perseveravit! A tua indulgentia oblivionem eius demeritorum spero attentis circumstantiis omnibus, in quibus praeterita contigerunt.
Nunc autem plura nobis proponi[s]: Damna resarcienda et obligationes adimplendas.
Libentissime omnia iuxta desiderium tuum exacte, quoad fieri poterit, perficiemus.
Quod autem ad Sacerdotem nostrum Polonum, qui adhuc Osvięcim moratur, spectat, tibi annuntio nos eum, si permittis, illuc relicturos solummodo usque dum actualis Director possit absque eius adjutorio omnia facere quae adhuc perficienda sunt. Director, licet distincto ingenio et optima voluntate praeditus, non posset certe omnia cognoscere et peragere sine eius adjutorio, praesertim cum linguam polonicam nondum calleat. Cura nobis erit eum revocandi statim ac necessitas ista dispareat.
Ultima tuarum litterarum verba mihi maximam consolationem afferunt, et sicuti te persuasum facere possum Sac. Manassero laetabundum gavisurum esse de consiliis et inspirationibus tuis, et illius insignis et pijssimi viri, qui est Parochus Osvięcim, ita gaudeo et ego iam nunc pro certo habens ipsum in te sapientem Patrem semper inventurum, et in eo fidelem amicum,

et, adiuvante Deo et Beatissima Virgine Auxiliatrice protegente, iuxta omnium vota ad prosperum exitum opera incepta et alia ex Divina Providentia incipienda perducturum.

A Te, Excelse Princeps et Praesul pro me, meisque omnibus tuam pastoralem benedictionem peto, dum sacrum annulum exosculans me profiteor maxima veneratione

Aug. Taurinorum die 21 Dec. 1899

Tuum humillimum et ob.mum
Servum in Chr. Jesu
Sac. Mich. Rua

Rev.mo et Ecc.mo Joanni
Principi Episcopo
Cracoviae